Sinite pueros uenire ad me. et nolite eos prohibere.
talium est enim regnum dei. Amen dico uobis quicumque non receperit
regnum dei sicut puer: non intrabit in illud. Et quae
etas hec infirma est uiribus. inualida ingenio. in-
matura consilio. non quia etas praefertur etati. alioquin obesset
adolescere. Quid nouis opus est. ut eum maturitas elegit?
si in meritum regni dempta celestis est. Ergo deus uirtutes praeces-
sum ad uicia dedit? non ad incrementa uirtutis. Et cur ipse apostolos
non puerilis sed prouectioris etatis elegit. Cur autem pueros aptos
regno dicit esse celorum. Fortasse quia malicia nesciat. fraudare
non nouerit. referire non audeat. sectari ignoret opes. ho-
norem ambitioneque non appetat. Sed non ignorare ista uirtus est. sed
contemnere. nec continentie laus in infirmitatis integritas. Non
ergo pueritia. sed emula puerilis simplicitatis bonitas designatur.
Non enim uirtus est non posse peccare sed nolle. atque ita tenere per-
seuerantiam uoluntatis. ut uoluntas infantiam. usus imitetur natu-
ram. Denique ipse hoc saluator expressit dicens. Nisi conuersi fueri-
tis et efficiamini sicut puer iste. non intrabitis in regnum celorum. Is
est ergo puer imitandus apostolis Christi. Non unus ex paruulis. Hec ergo
uirtus apostolorum. Quis ergo puer. Ne forte ille de quo esaias dicit. puer
natus est nobis. filius datus est nobis. Ipse enim est puer dicens. tolle crucem
tuam et sequere me. Et ut agnoscas puerum. cum malediceretur non re-
maledixit. cum percuteretur non repercussit. Hec enim est perfecta uirtus. Ita
que et in pueritia est quedam uenerabilis morum senectus. et in senectu-
te innocens pueritia. Senectus enim uenerabilis est. non diuturna
nec numero annorum computata. Cani autem sensus hominum. et etas
senectutis uita inmaculata. Unde et scriptum est. Laudate pueri
dominum. laudate nomen domini. quia nemo nisi perfectus laudat dominum. Nemo
enim dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Quid uidetur de ecclesie typo prophetatum.
quia iuniores seniorem populum iudeorum. uirtutis studiis anteierunt. Et i

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 272 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/fr/sbe/0166/272)